DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS V. FEBRVARII.

M. SIMONE LE LETIER Doctore Medico moderatore.

908

Sunt-ne biliosi præstantissimi?

HOMO caducorum Princeps vt vniuerso animantium generi imperat & præcellit, expertia rationis bruta, variis licet artibus, dotibus, diuersisque moribus imitatione humani ingenij opera exhibentibus instructa videantur; cùm sensu, phantasiâ, & memoriâ regantur, victui dumtaxat comparando, & prolis incumbunt commodis: Ille autem animal mirè commixtum ex corpore, quod cum illis habet commune, & versâ in cœlum figurâ, temperie exquisitâ, manuum fabricâ, spirituum vbertate elaboratiore distinctum, & ex animo quo diuinæ mentis refert imaginem, sapientiâ, arte, scientiâ, prudentiâ viuit, nisi suæ conditionis, & originis immemor, ἀνδραποδωδῶς illa sequatur fœdè, in quæ belluæ cœco feruntur impetu: Non aliter qui inter homines ingenio, iudicio pollent sagaces & prouidi id solum sequuti, quod probat ratio, si insuper vegeto sint & firmo corpore ad præclaras animæ functiones expedito, non immeritò omni exceptione maiores omnibus præferendi: Aliter affecti, & alterutrius partis destituti commodis, infra humanæ sortis præstantiam constituti, diuinam illam auram quasi τὸ ἐν φακῇ μύρον videntur obtinuisse.

ANIMÆ rationalis essentiam altâ caligine immersam non capit vis humani intellectus, ad illam hebescit, & quasi in sole caligat: sapit qui de illâ curiosius non disputat, nec anxiè tempus rimatur quo à numine creata fœtum animat; in omnibus eandem obtinet dignitatem, parem in agresti & erudito, sene & puero, viro & muliere, sed multiplicem facultatum, actionum, & operum varietate profitemur; quæ eò præstantiores edit actiones & nobiliores, quò perfectius nacta est organum, & ad suas effectiones expromendas accommodatius: quod non aliud est, quam temperamentum ex confusis variéque permixtis humoribus proximis humani corporis principiis resiliens, primum, & ægrè, mutabile Naturæ instrumentum, cuius tantò præstantiora sunt opera, quantò caloris minimè cœlestis substantia in eâ permixtione vberior, & vis effulserit efficacior, & maximè dum à siccitate ipsius lima acuitur.

NVSQVAM æquis partibus, raró viribus humores permiscentur, si vnus, altérve in primâ generatione alios superat temperamentum constituit & denominat: non imperitè enim humorum nomina temperiei accommodant Medici; Bilis calida sicca, igni, æstati analoga, simul cum aliis succis ab hepatis moderato calore, & chylo tenuiore producta, omnes pœnè corporis actiones promouet, corruptionem arcet à sanguine, cuius salis instar condimentum est in venis, & arteriis, alimento præbet commeatum, excrementis exitum, & αὐτόδρομος sæpè tutiores motus suis aculeis, quàm ars suis molitur præsidiis: neque si ipsa æstum facilè concipiat ideò putret; innoxia illius flamma, nisi aliorum succorum mole quasi obice intercepta, aut labe & contagio infecta per patentes vias, & laxiora cutis spiracula exitum sibi parare non valeat.

ORTA principiis respondent, & è diuerso; quantùm calor ad vitæ munia frigori, siccitas humori ad δυσπάθειαν, durities mollitiei ad robur, raritas ad salubritatem densitati antecellit; tantum iis dotibus qui bilis dominio tenetur instructus, aliis præstantior eminet: huic animus amplus, excelsus, præsens, acer, ad res suscipiendas & perficiendas paratus, rerum honestarũ desiderio magis quàm iucundarũ trahitur lenocinio, dicendi gratiâ & comitate non adscitâ, sed ingenitâ pollet, viribus moderatis; mole humorũ & nimiâ pinguedine vacuus, vt & excrementis viuit aliis salubriùs: quia verò nemini omnia concessa fortunæ siue Naturæ inuidentiâ, quæ nihil mortalibus elargitur, quod non aliquo temperet incommodo, quæ solertia & εὐφυῒ profert ingenia qualitas, eadem si nimis intendatur, εἰς παραπετῆ καὶ μανικὰ detorquet.

FORTVNATA igitur eorum conditio, quos bilis exercet imperium, deterior cæterorum: Pituitosis ad omnia vitæ munia ineptis anima pro sale concessa; Melancholici pauent & torpent; sanguinei genio dediti, sensuum illecebris delusi, diuinam auram in voluptatum fœcem immergunt: quid ita? biliosis præstò sunt, quæ aliis negantur: substantia partium moderatè compacta, peruia, iniuriarum ἀπὸ τῶν ἔξωθεν καὶ τῶν ἐνιόντων ingruentium secura, vnde εὐκάθαρτοι καὶ εὐδιάπνοοι sordibus non circumfluunt: Spiritus è bile splendidâ sanguine, vel melancholico succo temperatâ excussi suâ luce ita fœliciter de natiuâ temperie constitutas partes peruadunt, vt hepar, eique inseruientes partes adornando sanguini commodè studeant; cor eorumdem ministerio vehementiùs pulset, nocitura pellat fortiùs à quo ad mentis arcem delati, operiosiúsque elaborati sua tenuitate celeritate amplos cerebri sinus expeditè penetrant, haustas à sensibus rerum species quasi specula lucida menti offerunt spectandas: quorum denique opera, partes ad motus spontaneos, imperatos, exercitationésque laboriosas natæ promptius iussa mentis capessunt, exequuntur: vnde biliosi mente & opere, consilio & facto omnibus præstant τὸ μὲν γὰρ ὀξὺ καὶ συνετὸν ἐν τῇ ψυχῇ διὰ τὸν χολώδη χυμόν ἐστι.

Ergo biliosi præstantissimi.

Proponebat Lutetiæ IOANNES FORESTIER Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Claudius Seguyn Regin. Christ. prim. Med.
M. Simon le Letier Præses.
M. Sebastianus Rainssant.

M. Petrus Gurnaut.
M. Nicolaus Brayer.
M. Cyprianus Hubaut.

M. Lazarus Pena.
M. Iacobus Cousinot Prof. & M. Reg. Principisq; Delph. prim. Med.
M. Petrus Beaurains.